

thuaniam peragravit, Episcopatum Vilnæ, quæ Lithuanie Metropolis est, aliisque civitatibus parochias constituit, & liberaliter dotavit. Ecclesiis ab omni censu, onere & Principis atque Officialium secularium jurisdictione immunes ac liberas declaravit. Innumeras gentes ab idolis ad veræ fidei cultum traduxit. Pisanensem Episcopum ad Urbanum Sextum Romanum Pontificem allegavit, nihilque sibi reliquit ad stabilendam Christi religionem. Hac prolixæ rerum Polonicarum scriptoribus Michovio lib. 4. cap. 32. & seqq. & Cromero lib. 14. & 15. commemorantur.

22. Sæculum istud in lucem protulit aliquot celebres Theologos Scholasticos, in quibus eminent Joannes Duns Scotus, Ordinis Minorum, acutissimi vir ingenii, qui cum Theologiam docuisset primum Oxonii in Anglia, deinde Parisiis, scriptum edidit Oxoniense in quatuor sententiarum libros, deinde in eodem scriptum Parisiense, aliæque Opera Theologica & Philosophica, immatura morte vitam conclusit ann. 1308. Nicephorus Callistus hoc eodem sæculo vixit, quippe qui Andronico seniori historiæ suarum libros octodecim dedicavit, exordens a Christi nativitate, Græcorum erroribus irretitus vixit, multa etiam fabulosa suis libris inspersit. Durandus a Sancto Portiano, natione Gallus, Ordinis Prædicatorum, Episcopus Meldensis, doctus edidit in libros sententiarum commentarios, in quibus quædam ab Ecclesia improbanda sunt, quos tamen iudicio censuraque sua scripta submisit. Egregium etiam edidit de jurisdictionum origine tractatum. Iisdem floruit temporibus ejusdem Ordinis Prædicatorum Magister Generalis, Gallus pariter ex Britannia Armorica Hervæus Natalis, eruditissimus Theologus, qui liberum scriptum adversus Durandum in iis, in quibus a S. Thoma dissentit, alterumque seorsim adversus eundem de unitate formarum. Aliquot etiam libros contra Henricum Gandavensem. Præterea in quatuor Magistri sententiarum libros, aliæque multa Theologica & Philosophica edidit. Franciscus Maironis natione pariter Gallus, ex Provincia Galliarum provincie, Religiosus Ordinis S. Francisci, Scoti discipulus, per multa subtiliter scriptis in Rebus Theologicis & Philosophicis. Item Quadragensimale, & sermones de Sanctis. Itemque tractatum de paupertate Christi & Apostolorum. Guilielmus Okam ex Anglia, Ordinis Minorum, Scoti discipulus, vir quidem doctus ingenioque subtilis, sed ardentior Ludovici Bavarici fautor adversus Joannem XXII. cujus scripta censuram meruerunt Apostolicam. Nicolaus Litanus ex Minorum Ordine, expositionem scripsit nomine *Possibile* inscriptam in universa Biblia, diversisque tractatus: obiisse fertur anno 1349. Pelagius Alvarus Hispanus, Ordinis Franciscani, & Sylvensis Episcopus, Joannis Papæ XXII. acerrimus defensor, pro quo Apologiam edidit contra Guilielmum Okam. Scripsit insuper egregium Opus de planctu Ecclesie, Speculum Regum, & in libros Magistri sententiarum. Nicephorus Gregoras historicus Græcus vivebat anno Domini 1344. ut ipse indicat in fine libri sui undecimi, quo historiam claudit exomam a tempore, quo Latini Orientis Imperium obtinuerunt, ad obitum usque Andronici junioris. Petrus Paludanus Burgundus, Ordinis Dominicani. Patriarcha Jerosolymitanus, egregie pius & doctus, scriptis suis hoc sæculo inclaruit. Guido ortu Catalanus, Prior Generalis Ordinis Carmelitani, grande prociudit volumen de omnibus heresibus. Ludolfus natalibus Saxo, professione Carthusianus egregie pius, volumen scripsit vite Domini nostri Jesu Christi: Commentaria quoque in Psalmos. Joannes Andreas Bononiensis Jurisconsultus eximius libros quinque Decretalium, Sextum pariter, & Clementinas glossis suis illustravit: & Additiones ad Speculum Guillelmi Durantis concinnavit. Joannes de Bacone Anglus Ordinis Camelit. Theol. & Philosoph. summe doctus, floruit præsertim sub Clementis VI. Pontificatu, commentarios elaboravit in libros quatuor Magistri sententiarum, & compendium legis Christi, & Quodlibeta. Thomas Argentinensis Germanus, Ordinis S. Augustini Prior Generalis, commentatus est in libros quatuor sententiarum, scripsit etiam quæstionum ex sacris scripturis solutiones, Sermones & Epistolas, & Meditationum librum. Nicol. Cabasilas Græcus tempore vixit Joannis Cantacuzeni Imperatoris, Archiepiscopus Thessalonicensis, valde doctus, sed schismaticus, & Latinis infensus, ut ejus scripta produunt, tomos sex elucubravit de vita in Christo, librosque de tribus sacramentis Baptismo, Unctione, & Eucharistia: Explicationem sacra Liturgiæ: de processione Spiritus sancti contra Latinos. Gregorius Ariminensis, æqualis fuit Thomæ Argentinensis & ejusdem Ordinis S. Augustini Prior Generalis, scripsit commentarium in 1. & 2. librum Magistri sententiarum: & in Epistolas S. Pauli, & in epistol. S. Jacobi. Manuel Calecas Græcus vir, & val-

de peritus, librum contexit contra Græcorum errores pro Latinis, quem vertit in Latinum Ambrosius Camaldulensis jussu Martini V. Pontificis; eumque in libros quatuor partitius est. Scripserit hoc sæculo pios de vita contemplativa tractatus Henricus Sozo, & Joannes Taulerus, uterque Germanus, Ordinisque Prædicatorum. Joannes quoque Rusbrochius Belga, Prior Monasterii Vallis-Viridis, Divinæ additus contemplationi.

CONCILIIUM COLONIENSE

Anni 1300.

1. **V**ichboldus Colonienfis Archiepiscopus, sedente Romæ Bonifacio VIII. atque imperante in Germania Alberto Augusto, hanc habuit Synodum ad instaurandam proludentem Ecclesiæ disciplinam. Sic vero decernit hujusmodi Concilii can. 1.

2. **C**an. I. *Licet sacris Canonibus sit institutum, ne aliquis ad regimen Parochialis Ecclesie assumatur, nisi qui jam 25. annis attigerit, & scientia & moribus commendatus existat, plures tamen hujus salubris statuti invenimus transgressores. Volentes igitur periculis animarum prospicere; & inhibens universis Archidiaconis, ac aliis qui de consuetudine investire habere dignoscuntur, ne deinceps aliquem puerum vel aliquem alium, qui vicesimum quintum ætatis annum non attigerit, sibi presentatum de hujusmodi Parochialibus Ecclesiis investiant, vel admittant. Contrarium facientes non solum ab Ecclesia ingressu suspendimus in his scriptis, verum etiam ipsam investituram decernimus non tenere.*

Fatendum utique permultum fuisse de veterum Canonum auctoritate remissum. Enim vero Synodi Neocesariensis sub Silvestro Papa I. ann. 314. celebratae Can. XI. decernitur: *Presbyter ante annos triginta non ordinetur, etiamsi fuerit homo valde dignus, sed referatur. Dominus enim noster JESUS Christus in trigesimo anno baptizatus est, & cepit docere.* Habetur c. Presbyter ante, dist. 68. Quod vero attinet ad presens institutum, Concilium Lateranense sub Alexandro III. cujus obitu meminit iste Colonienfis canon, ad Episcopatum quidem requirit ætatem annorum triginta completorum: Ad inferiores autem dignitates, & ad curata beneficia non plus requirit quoad ætatem, quam attigisse 25. ann. Habetur c. cum in cunctis, de electio. Eundemque instaurat canonem Concilium Tridentinum, sess. 24. cap. 12. de reform. Ne quis Archidiaconus promoveatur, nisi saltem 25. ætatis annum attigerit. Ad ceteras autem dignitates, vel personatus, quibus animarum cura nulla subest, Clericos alioquin idoneos viginti & duobus annis non minores Tridentina sanctio alicui permittit.

3. **C**an. II. *Cum secundum jus quilibet, qui ad curam regendarum animarum assumitur, ut gregis sibi credit diligentius gerere curam possit, in Parochiali Ecclesia, cujus rector extiterit, residere personaliter, & ad eam promoveri teneatur: aliqui etiam nulla monitione premissa, ipsa Ecclesia sit privatus. Vobis Decanis Christianitatem committimus & mandamus, quatenus illorum qui in vestris Decanatus hujusmodi Ecclesias occupant, nomina Pastorum non residentium personaliter in scriptis nobis intra mensem post presentem diem tradatis, ut hujusmodi negligentiam & defectum de Prelatorum nostrorum consilio reformemus. Alioquin in vos ex tunc sententiam excommunicationis servimus in his scriptis: & idipsum in qualibet Synodo volumus observari in forma supradicta.*

Vide in Decretalibus sub tit. de Cler. non resid. & Concilium Trid. sess. 6. de reform. cap. 1. & 2. & sess. 29. de reform. cap. 1. *Non potest esse Pastor excusatio, si lupus oves comedit, & pastor nescit, c. quamvis, de regul. jur. ex S. Gregorii registro.*

4. **C**an. III. *Quia vero, ut intelleximus, aliqui Clerici utpote Apostate, discussores & vagi, de aliis Provinciis & Diocesis ad diocesim nostram convenientes, regimen animarum & officiationem Ecclesiarum sibi assumunt, qui ab aliis Diocesis tamquam irregulares & indigni pro eorum culpa & excessibus sunt remoti: Statuimus, ut nullus deinceps Presbyter alienus ad regimen & ad curam animarum loco Coadjutoris, vel Vicarii aut Socii, per Pastores Ecclesiarum vel Capellarum aut Altarium Rectores assumatur, absque litteris testimonialibus proprii Episcopi, presentibus talem secundum claves Ecclesie ordinatum esse,*

esse, & executionem sui officii habere: ita quod per Decanos Christianitatem, in quorum Decanatus assumi desiderant examinari, tunc demum admittantur tales, cum in iis inventi fuerint idonei, ut dictum est. Pastores vero & Capellani ac altarium Rectores nostre Diocesis, qui his spretis aliquem Clericum ignotum dicentem se Presbyterum assumpserint, excommunicationis sententiam, nisi intra sex dies a se talem amoverint, se ex tunc hoc ipso facto noverint incursum, & alias pro modo culpe canonice puniendos.

Require superius ad Sæculum secundum Dissertationem VII. de litteris formatis. Canon Apostolorum 15. & 16. & Canon Laodicenus non permittunt Clericum ad peregrina sine sui Episcopi litteris proficisci, Laod. can. 42. Præterea Chalcedonensis can. 3. decernit externos Clericos & ignotos in alia civitate sine sui proprii Episcopi commendatiis litteris nulquam ministrare. Item Agathensis can. 52. *Presbytero, aut Diacono, aut Clerico sine Antistitis sui litteris ambulanti communionem nullus impendat.* Vide Conc. Trident. sess. 23. cap. 13. Prohibet similiter, ne ad sacra Sacerdotes alive Clerici extranei vel ignoti admittantur sine sui Episcopi attestazione, aut etiam sine speciali licentia Ordinarii ejus, in quo administratur sunt, loci, sub gravibus poenis in eos, qui temere admittunt. Concilium Marciense anni 1526. can. 2. & 3. Conciliumque Aqueense anni 1581. tit. de celebratione Missæ. effragant Episcopi scriptam attestacionem ac veniam, quæ non fit anno verusior. Tridentinum sess. 22. in decreto de celebr. Missæ interdicti, ne cui vago & ignoto Sacerdoti Missa celebrare liceat. Concilium item Bituricense anni 1286. can. 6. *Item (ait) nullus Clericus vel Presbyter peregrinus ad celebrandum, predicandum, vel officium publicè populo in Ecclesia admittatur, nisi per Diocesarium vel suos fuerit comprobatus.* Concilium Moguntinum anni 1594. can. 92. in peregrino Clerico ad sacra ministeria admittendo duo exigit, scilicet Episcopi loci, unde prodiit, attestacionem, & Antistitis, ad cujus diocesim accessit, approbationem.

Can. IV. *Cum item sanctissimus Pater Dominus Bonifacius octavus summus Pontifex inter cetera statuerit, ne aliquis deinceps nisi unicum personatum, dignitatem, preposituram, administrationem, vel officia perpetua quocunque nomine censentur, cum prebenda insimul, absque dispensatione Sedis Apostolicæ in eadem Ecclesia obtinere, vel jam obtenta tenere valeat: Et si a quocunque seculo presumpsum fuerit, illud irritum sit omnino: Nos, quia nonnulli in observatione hujus statuti se exhibent negligentes, in ipsorum negligentiam supplere cupientes, mandamus vobis universis, ad quos talium ordinario seu collatio spectare dignoscitur, ne deinceps talia faciant & attemptent; sed personis intra tempus legitimum habilibus conferant. Alioquin nos eadem conferemus. Vide cap. cum singula, de prebend. in 6.*

Can. V. *Præcipimus, ut Sacerdotes denuntient suis subditis, quod omnes quibus a jure inhibitum non est, liberam testamenti condendi habeant facultatem. Et Clerici bona maxime immobilia, & que per Ecclesiam sunt adepti, sive per modum testamenti, sive alias, non transferant ad filios vel nepotes, aut ad alios suos consanguineos, sed relinquunt Ecclesie, a qua sunt prescra. Sed intuitu elemosynæ, pauperibus, religiosis, & piis locis, & illis qui ipsi servierunt, sive consanguinei sint, sive alii, aliqua juxta servitii meritum de mobilibus dare possunt. De aliis vero bonis que ex hereditate, artificio, vel doctrina, vel alias non ex bonis Ecclesiasticis ad Clericos pervenerint, Clerici possunt disponere pro suo arbitrio. Excommunicamus, & excommunicatos denunciamus omnes Clericos, qui bona mobilia Ecclesiarum filijs suis, nepotibus, vel consanguineis seu aliis conferunt, vel in ipsos transferunt, & ab Ecclesia alienant sua propria voluntate & sine consensu nostro.*

Canon Agathensis 49. sic edicit: *Diaconi vel Presbyteri in Parochia constituti de rebus Ecclesie sibi creditis nihil audeant commutare, vendere, vel donare, quia res sacratæ Domino esse noscuntur. Similiter & Sacerdotes nihil de rebus Ecclesie sibi commissa, ut superius comprehensum est, alienare presument. Quod si fecerint, convicti in Concilio & ab honore depositi, de suo aliud tantum restituant, quantum visum fuerit presumpsisse.*

Can. VI. *Præcipimus & monemus, ut laici in presentia sui Sacerdotis testamenta sua faciant, nisi improvisa necessitas emergerit. Item omnibus Sacerdotibus præcipimus, quod hortentur omnes Clericos & laicos testamenta sua facere, & quod non differant usque ad angustiam mortis; sed ea faciant, dum adhuc competes sunt mentis sue & corporis. Et in testamentis faciendis consulant Sacerdotibus, Notitiæ Ecclesiasticæ.*

dotes suis subditis, quod declarent sua debita & forefata, (gallice forfaits) & quod ex primo restitui faciant seu precipiant de bonis suis. Et quod postmodum legent aliqua fabrica Ecclesie totius civitatis & Diocesis Colonienfis, & sue Parochiali Ecclesie, & etiam religiosis, & piis locis, & pauperibus aliis secundum arbitrium testantis.

5. **C**an. VII. *Si quis vero Fabrica Ecclesie Sancti Petri & Parochiali Ecclesie sue aliquid legaverit in suo testamento, idem viginti dies de injuncta sibi poenitentia relaxamus. Et fiant testamenta Parochianorum publice & coram discretis personis. Et cum aliqua Ecclesie Sancti Petri legantur, hoc Presbyter significet Colonie procuratori fabricæ, & nomina eorum qui prædicta fabrica legata fecerint intra mensem. Suspendimus autem, & suspensos denunciamus Presbyteros, qui celant legata fabricæ prædictæ, nisi ea procuratori ejus denuncient intra duos menses a tempore scientiæ. Excommunicamus etiam omnes laicos, qui celaverint prædicta legata.*

Huc spectat Vasonensis Concilii primi (secundum Simonndum) Canon IV. qui refertur, 13. q. 2. cap. qui oblationes defunctorum, 2. Item Arelatenfis Concilii secundi can. 47. & præterea Carthaginensis quarti can. 95. & Agathensis can. 4. citati a Gratiano, 13. q. 2. can. qui oblationes, 1. & can. Clerici vel sæculares, ibidem.

Can. X. *In fine. Cum autem testator deceaserit, ipsi executores seu manus fideles facto inventario bona ad executionem pertinentia apprehendant, & exequantur ultimam voluntatem dicti defuncti, faciendæ proclamari in loco, in quo morabatur defunctus, & pluries esse & conversari consuevit, ut & omnes creditores ipsius defuncti, & a quibus aliqua extorserat, compareant certa die sua debita ostensuri. Et tunc ipsi executores seu manus fideles primo creditoribus, quibus quod injuste extorserat, satisfaciant; & de residuo satisfaciant legatario cuiuslibet, pro rata bonorum defuncti.*

Canon iste summam ultimamque præscribit diligentiam ad eorum expiandas & expurgandas injustitias, qui multos facultatibus expoliaverunt, & quantumcumque fieri potest, læsis restituendum ablata. Obversentur illorum animis, qui alios injuriis affecerunt, vel neglectu quæ creditoribus, aut mercenariis debent, extolventi, vel studio de aliorum opibus ditescendi, verba ista Christi univerforum Judicis; *Quid prodest homini, si universum mundum lucretur, anima vero sua detrimentum patiat? Aut quam dabit homo commutationem pro anima sua?*

7. **C**an. XII. *De manifestis usurariis: Excommunicamus omnes usurarios manifestos, & singulis diebus Dominicis & festivis a quolibet Sacerdote denunciatur excommunicati. Nullus Sacerdos oblationes manifestorum usurariorum recipiat, nec ad Communionem eos admittat: nisi satisfaciant de usuris secundum constitutionem felicis recordationis Domini Gregorii Papæ XI. que incipit. Quamquam usurarii, in Concilio Lugdunensi can. 27. Nullus testamentis manifesti usurarii interfit: nec ad penitentiam & communionem eos admittat: nisi de usuris satisfecerint secundum formam constitutionis dicti Domini Papæ. Et testamenta manifestorum usurariorum, qui secundum formam dictæ constitutionis satisfecerint de usuris, nulla sint ipso jure. Dum autem manifesti usurarii secundum formam dictæ constitutionis satisfecerint, ad Sacramenta Ecclesiastica non admittantur. Manifestos autem usurarios dicimus, de quibus, per sententiam, vel per confessionem factam in jure, aut evidentiam, que aliqua tergiversatione non potest celari, constiterit evidenter. Et illos etiam qui super usuris diffamati intra tempus statuendum ab eo, qui super hoc habet potestatem, se non purgaverint, reputamus pro manifestis usurariis puniendos. Præcipimus etiam singulis Sacerdotibus Parochialibus, quod moneant in Parochiis suis frequenter in generali & in speciali, de quibus constiterit usurarios & infamatos publice de usuris, ac contractus illicitos præemptivum exercentes, ut ab usuris & talibus contractibus desistant intra septem dies a tempore dictæ monitionis. Alioquin ipsi ex tunc dicti usurarii & præemptores excommunicentur in speciali, de quibus constiterit: & de quibus non constiterit, in generali: & diffamati si se non expurgaverint, pro convictis habeantur. Et si taliter moniti & excommunicati desistere noluerint, nominatim excommunicentur, & nomina eorum nostro Officiali offerantur, salvo jure nostro & Archidiaconi in præmissis. Præcipimus etiam constitutiones dicti Domini nostri Papæ contra usurarios alienigenas editas firmiter observari. Sacerdotes non permittant questionarios Goliardos vel quoscunque alios ignotos intra Parochiam suam in Ecclesia, vel in via,*